

XXXV. SUPERIORIS NATURAE GRADUM INFERIOR APPETERE NON POTEST. Hoc effatum ita a Thoma perbelle evincitur: « Est unicuique naturale desiderium ad conservandum suum esse, quod non conservaretur, si transmutaretur in alteram naturam. Unde nulla res, quae est in inferiori gradu naturae, potest appetere superioris naturae gradum; sicut asinus non appetit esse equus; quia si transferretur in gradum superioris naturae, iam ipsum non esset¹ ».

XXVI. SUPERIUS NON PATITUR AB INFERIORI. « Habet veritatem in his, inter quae non est naturalis colligantia »; quare haud inde colligi potest animam non posse pati a corpore, « cum naturalis colligantia sit animae ad corpus² ».

XXXVII. SUPREMUM INFIMI ATTINGIT INFIMUM SUPREMI: vel, INFIMUM SUPREMI ATTINGIT SUPREMUM INFIMI. Hoc effatum ita explicatur: In duabus entium seriebus, quarum altera est superior, altera inferior, atque unaquaque continet entia, quae certum includunt ordinem, illud ens, quod supremum est in serie inferiori, proximum est enti, quod infimum est in serie superiori: « Inferior natura in suo summo attingit ad aliiquid infimum superioris naturae³ ». Et vicissim, illud ens, quod infimum est in serie superiori, proximum est enti, quod supremum est in serie inferiori. E. g., homo, qui supremum obtinet gradum inter creaturas sublunares, est infimus inter creaturas supernas; et infimum inter bruta animalia est proximum supremo inter vegetabilia. Qua in re monet s. Thomas, « illud, quod est superioris naturae, non posse esse in inferiori natura perfecte, sed per quamdam tenuem participationem; sicut in natura sensitiva non est ratio, sed aliqua participatio rationis, in quantum bruta habent quamdam prudentiam naturalem⁴ ».

¹ I, q. LXIII, a. 3 c.

² S. Bonav., *In lib. II Sent.*, Dist. XXXI, a. II, q. 2 ad arg.

³ Qq. disp., *De Ver.*, q. XV, a. 1 c.

⁴ Ibid.

T

DISTINCTIONES

I. TACTUS QUANTITATIS—VIRTUTIS. *Tactus quantitatis* est ille, quo unum coniungitur cum altero, ita ut eorum partes sibi invicem adhaereant. *Tactus virtutis* est ille, quo aliiquid in aliud operatur. « Primo modo corpus non tangitur nisi a corpore. Secundo modo corpus potest tangi a re incorporea, quae movet corpus¹ ».

II. TEMPUS—AEVUM—AETERNITAS. *Tempus* est mensura durationis rei omnino variabilis, seu metitur res corruptibles, quae in perpetuo fluxu sunt. *Aeternitas* est mensura durationis rei omnino invariabilis, et secundum substantiam, et secundum durationem. *Aevum* medio modo se habet, nam est mensura *esse* invariabilis, quod tamen variationem secundum operationem admittit. Qua in re haec duo monere par est: 1º Etsi aeternitas Dei sit *duratio*, quatenus duratio secundum sui rationem permanentiam in *esse*, ac proinde aliquam perfectionem significat; tamen potius nomen *possessionis*, quam *durationis* in eius definitione adhibetur, in qua, secundum Boëtium, dicitur *esse*, *Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio*. Nam « duratio dicit quamdam distensionem ex ratione nominis; et quia in Divino *Esse* non debet intelligi aliqua talis distensio, ideo Boëtius non posuit durationem, sed possessionem, metaphysice loquendo ad significandum quietem Divini *Esse*; illud enim dicimur possidere, quod quiete et plene habemus; et sic Deus possidere vitam suam dicitur, quia nulla inquietudine molestat² ». 2º Aeternitas Dei tamquam realis mensura *Esse* Divini habenda non est, tum quia Deus non est realiter mensuratus, tum quia realis mensura realem distinctionem inter mensuram, et mensuratum assumit, quae profecto inter aeternitatem, et *Esse* Dei non existit³. Quocirca ratio mensurae convenit aeternitati secundum ap-

¹ I, q. LXXV, a. 1 ad 3.

² In lib. I Sent., Dist. VIII, q. II, a. 1 ad 6.

³ Ibid., Dist. XIX, q. I, a. 1 ad 4.

prehensionem nostram, quatenus non possumus apprehendere aeternitatem, nisi per aliquam proportionem et similitudinem et mensuram; cum fundamento tamen in re, quia aeternitas est unitas; et unum, aiente Aristotele, « est mensura omnium, et ad unum reducitur omnis mensura ¹ ».

III. TERMINATIVE—SUBJECTIVE ².

IV. TERMINORUM ASCENSUS—DESCENSUS. Terminorum *ascensus* dicitur de eo argumentationis genere, in quo a particularibus ad universalia, vel a minus universalibus ad magis universalia progradimur. E. g., hic homo est animal, et iste homo est animal, et ille pariter etc.; ergo omnis homo est animal. Terminorum *descensus* e contrario dicitur de eo arguendi modo, in quo fit progressio quaedam ab universali ad singularia. E. g., omne grave tendit deorsum; ergo et hoc, et illud grave tendit deorsum.

V. TERMINUS APPELLANS—APPELLATUS. *Appellans* dicitur ille, cui aliquid apponitur, puta Cicero. *Appellatus* est ille, qui hoc ipsum, quod apponitur, enunciat; puta magnus orator.

VI. TERMINUS CATEGOREMATICUS—SYNCATEGOREMATICUS—*Mixtus*. Terminus *categorematicus* est ille, qui per se sufficit ad subiectum, vel praedicatum in propositione significandum; ut homo, lapis, coelum. *Syncategorematicus* est ille, qui *per se* neque subiecto, neque praedicato significando sufficit, sed solum alteri iunctus; unde est *velut* aliorum pedissequus. Eiusmodi sunt: *hic*, *aliquis*, *omnis*, *nullus*, etc., qui non nisi *aliqualiter* significare dicuntur, seu, ut s. Thomas inquit, « important ordinem praedicati ad subiectum ³ ». Terminus *syncategorematicus* solet etiam vocari *signum*, quia per ipsum dignoscitur quantitas propositionis. Denique terminus *mixtus* est ille, qui in utrumque resolvitur; puta *nemo*, qui idem est ac *nullus homo*. Iam aliquando eadem vox potest *categorematicae*, et *syncategorematice* adhiberi. E. g., vox *solus categorematicae* significat *solitarium*; *syncategorematicae* « excludit omnem aliud suppositum a consortio praedicati, sicut cum dicitur, *solus Sortes scribit*, non datur intelligi, quod Sortes sit *solitarius*, sed quod nullus sit ei consors in scribendo, quamvis cum eo multis existentibus ⁴ ».

¹ Met., lib. V, c. 6, et lib. X, c. 1.

² Vid. p. 337.—³ I, q. XXXI, a. 3 c.—⁴ Ibid.

Hinc sanctus Doctor monet hanc vocem *solus in Divinis* posse accipi *syncategorematice*, ut si dicamus solum Deum esse aeternum, at non *categorematice*, siquidem nomen *solitudinis tolleret consortium Trium Personarum* ¹. Et s. Bonaventura: « Ad illud, quod quaeritur, utrum (*solus*) teneatur *syncategorematice*, vel prout est nomen importans formam denominantem, ut idem sit *solus*, quod *solitarius*; dicendum quod *syncategorematice* ² ».

VII. TERMINUS CONNOTATIVUS—ABSOLUTUS ³.

VIII. TERMINUS FORMALIS—TERMINUS DENOMINATIONIS. *Terminus formalis* in aliqua actione est illud, quod proprie et immediate efficitur. *Terminus denominationis* est id, quod per actionem accipit novam denominationem. E. g., motus est terminus *formalis* actionis causae moventis: ipsum autem corpus motum est terminus *denominationis*.

IX. TERMINUS IMPERTINENS—PERTINENS. *Impertinentes* sunt termini, qui ad invicem sic se habent, ut nec repugnant inter se, nec se in recta consequentia inferant, ut *album*, *iustum*; haec enim non repugnant inter se, quia possunt uni et eidem inesse; nec se mutuo inferunt; siquidem quia hoc est *album*, haud consequitur esse *iustum*; item quia est *iustum*, non consequitur esse *album*, cum alterum sine altero esse possit. *Pertinentes* sunt, quorum alter alteri repugnat, ut *album* et *nigrum*, *homo* et *equus*; vel, quorum unus alterum infert, ut *homo*, *risibilis*.

X. TERMINUS PRIMAE—SECUNDÆ INTENTIONIS ⁴.

XI. TERMINUS QUI—QUO ⁵.

XII. TERMINUS A QUO—AD QUEM—CUI ⁶.

XIII. TERMINUS SECUNDUM QUANTITATEM—TERMINUS SECUNDUM ESSENTIAM. Terminus *quantitatis* est « sicut punctus lineae ». Terminus *secundum essentiam rei* est « sicut ultima differentia, ad quam finitur essentia speciei. Unde illud, quod significat essentiam rei, vocatur *diffinitio*, vel terminus; et sic dicitur *unumquodque finiri per illud*, quod determinat, vel contrahit essentiam suam; sicut na-

¹ Ibid., a. 2 c.

² In lib. I Sent., Dist. XXI, a. 1, q. II ad arg.

³ Vid. *Absolute—Connotative*, p. 2-3.

⁴ Vid. *Intentio prima—Intentio secunda*, p. 179.

⁵ Vid. *Ut quo—Ut quod*, p. 293.

⁶ Vid. p. 19.

tura generis, quae de se est indifferens ad multa, finitur per unam differentiam¹ ».

XIV. TERMINUS UNIVOCUS—ANALOGUS—AEQUIVOCUS².

XV. TOTALITER—PARTIALITER. 1º *Totaliter*, seu *adaequate* res accipitur, cum secundum omnes suas partes coniunctim sumptas accipitar. *Partialiter*, seu *inadaequate*, si secundum aliquid sui intelligitur. E. g., facultas sentiendi pertinet ad hominem *adaequate*, prout nempe anima et corpore constat, non vero *inadaequate* inspectum. 2º Obiectum *totaliter*, nempe *adaequate*, vel *partialiter*, id est *inadaequate* ad aliquam potentiam, vel habitum referri potest; de quo vid. *Obiectum adaequatum—inadaequatum*³.

XVI. TOTUM ABSOLUTE—TOTUM PER COMPARATIONEM AD PARTES. « Totum, inquit s. Bonaventura, sive totalitas uno modo dicitur absolute, et sic totum idem est quod perfectum. Alio modo dicitur totum per comparationem ad partem, et sic dicitur totum, quod habet partem et partem, sive partes. Primo modo bene est ponere totalitatem in Deo; secundo, non; nec etiam partialitatem. Non totalitatem, quia aufert simplicitatem; non partialitatem, quia tollit perfectum; neutrum, quia tollit aequalitatem summam⁴. Quare, cum dicitur, *tota Trinitas*, totum accipitur pro perfecto; vel totum ibi accipitur privative; quia privat hoc quod est esse partem extra partem⁵ ».

XVII. TOTUM HOMOGENEUM—HETEROGENEUM. *Homogeneum* est illud, cuius partes sunt eiusdem nominis et rationis cum toto, v. g. aqua: quaelibet enim pars aquae est aqua, eique competit aquae definitio. *Heterogeneum*, cuius partes sunt diversi nominis et rationis cum toto, v. g. homo; nam pes nec definitur homo, nec definitur sicut homo⁶.

XVIII. TOTUM LOGICUM—PHYSICUM. *Totum logicum*, quod etiam *universale* audit, est notio universalis, quae alias sibi subiectas habet, ut animal. Hoc proprie dicitur *omne*: « Per hanc, ait s. Thomas, dictionem *omnis*, ratione distributionis importatur quedam divisio subiecti, et multiplicatio ratione contentorum. Unde incongrue additur his, sub quibus non est accipere aliquam multitudinem

¹ S. Thom., *In lib. I Sent.*, Dist. XLIII, q. 1, a. 1 *sol.*

² Vid. *Analogice—Aequivoce—Univoce*, p. 14.—³ P. 239,

⁴ *In lib. I Sent.*, Dist. XIX, pars 2, a. 1, q. 1 *resol.*

⁵ *Ibid ad arg.*—⁶ I, q. XI, a. 2 ad 2.

suppositorum, ut terminis singularibus¹ ». Ipsum autem, ut docet idem Aquinas, « adest cuilibet parti secundum totam suam essentiam et virtutem, ut animal homini, et equo, et ideo proprie de singulis praedicatur² ». *Totum physicum*, quod proprie dicitur *totum*, est aliquid singulare, quod ex partibus ipsis coalescit³.

XIX. TOTUM POTENTIALE—ESSENTIALE. *Totum essentiale* est quidquid constat ex genere et differentia. De hoc toto loquitur s. Thomas, ubi ait: « Est etiam quoddam totum, quod dividitur in partes rationis, et essentiae, sicut definitum in partes diffinitionis⁴ ». *Totum potentiale* est, quod dividitur in partes virtutis⁵, estque idecirco quodlibet ens, cui plures potentiae, seu facultates insunt, puta anima hominis. Hoc totum vero « adest singulis partibus secundum totam suam essentiam, sed non secundum totam virtutem. Et ideo quodammodo potest praedicari de qualibet parte, sed non ita proprie, sicut totum universale. Et per hunc modum Augustinus dicit, quod memoria, intelligentia, et voluntas sunt una animae essentia⁶.

XX. TOTUM INTEGRALE—SUBSTANTIALE. Sunt duae species totius *physici*. *Totum integrale*, quod etiam *quantitativum* dici solet, est illud, quod habet partes extra partes, quarum alia ab alia separari potest. Huiusmodi est quodlibet corpus continuum, quod habet partes materiales unitas. Hoc totum « non est in qualibet parte, neque secundum totam essentiam, neque secundum totam virtutem. Et ideo nullo modo de singulis partibus praedicatur; sed aliquo modo, licet improprie, de omnibus simul; ut si dicamus quod paries, tectum, et fundamentum sint domus⁷ ». *Totum substantiale* est quodlibet compositum ex materia et forma.

XXI. TOTUM PERFECTIBILE—PERFECTIVUM—PERFECTUM. *Totum perfectibile* dicitur genus: *perfectivum*, differentia; *perfectum*, species. Nam, ut ait s. Thomas⁸, genus ex-

¹ *In lib. I Sent.*, Dist. XXI, q. II, a. 1 ad 1.

² I, q. LXXVII, a. 1 ad 1.

³ « Inter omne et totum hoc interest, quod omne numerositate constat; totum autem ad partes resertur »; s. Isid., *De differentiis verborum*, lib. I, n. 206.

⁴ I, q. LXXVI, a. 8 c.—⁵ *Ibid.*—⁶ I, q. LXXVII, a. 1 ad 1.

⁷ *Ibid.* Cf quae de diversis speciebus partium diximus p. 251.

⁸ 1^a 2^{ae}, q. LXVII, a. 5 c.

primit de re id quod est in ea materiale, et communius; differentia id quod est in ea formale et actualius; species, utrumque.

XXII. TOTUM—TOTALITER. Id dicitur *totum* esse in aliquo, quod ita in eo est, ut alibi non existat. E. g., « tota natura et species aquae in qualibet parte aquae est; et tota anima est in qualibet parte corporis¹ »; at non *totaliter*; non enim « animae nihil est extra hanc partem corporis; sed nihil est extra totum corpus² ». E contrario, *quantum* neque *totaliter*, neque *totum* est in qualibet parte³. 2º Aliiquid potest *totum* cognosci, quatenus nihil de eo latet; et non *totaliter*, quatenus perfecta ratione, qua in se cognoscibile est, non attingitur.

XXIII. TOTUM—TOTUS. « Hoc nomen *totus*, aliquando tenetur ut signum, aliquando ut adiectivum. Secundum quod tenetur ut signum, sic distribuit in omnes partes, ut cum dicitur, *Totus Petrus est albus*. Secundum quod accipitur ut nomen adiectivum, sic *totum* uno modo dicitur idem quod *perfectum*; alio modo idem quod habens partem et partem⁴ ».

XXIV. TRANSCENDENTALITER—PRAEDICAMENTALITER⁵.

T

EFFATA

I. TALE ADDITUM TALI FACIT MAGIS TALE. Hoc est, si sit aliqua qualitas in subiecto, et similis ei adiungatur, subiectum fiet magis tale; ut si lignum sit calidum, et adiungatur aliis ligno calor, fiet magis calidum⁶. Circa quod effatum haec duo adnotamus: 1º *Ipsum verum est*, dummodo accessio et additio illa sit propria et homogenea. Ita bono additum bonum bonitatem auget, et melius facit. At si accessio sit diversi generis, potest rem depravare et vitiare; uti patet in virtutibus, ubi excessu peccatur⁷. 2º *Quoad qualitatem propositionum effati vis*

¹ *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 67.

² *Qq. dispp.*, q. un. *De An.*, a. 10 ad 3.

³ *Cont. Gent.*, loc. cit., et I, q. VIII, a. 2 ad 3.

⁴ S. Bon., *In lib. III Sent.*, Dist. XXII, dub. 2.

⁵ *Vid. p. 267.* — ⁶ *Vid. p. 49.* — ⁷ *Ibid.*

nulla est. Nam, si propositioni neganti aliam adiungas negationem, non fiet propositio magis negans; etenim duae negationes uni aequipollent affirmationi.

II. TALIS EST MODUS OPERANDI, QUALIS ESSENDI, ET VICESSIM⁸.

III. TALIS EST POTENTIA, QUALIS EST ESSENTIA⁹.

IV. TOTIUS BONUM EST BONUM PARTIUM¹⁰.

V. TOTIUS ET PARTIUM EADEM EST RATIO. Porro evidens est hoc effatum non accipiendum esse quoad totum *heterogeneum*. Nulla enim partium hominis est homo, neque aliqua partium pedis est pes¹¹. Quoad autem totum *homogeneum*, effatum significat partibus separatis eamdem cum toto definitionem convenire; pars enim aeris est aer, et pars aquae est aqua; at vero non illud etiam significat, omnia, quae dicuntur de toto, partibus quoque convenire; non enim si tota aqua est bicubita, etiam pars eius talis est¹².

VI. TOTUM DENOMINATUR A PROPRIETATE PARTIS. Hoc verum est, « quando illa proprietas nullo modo nata est convenire, nisi parti illi, sicut crispitudo capillis, et claudicatio pedi¹³ ». Unde, « homo nullo addito, dicitur *crispus* ». E contrario, « quantum ad illas dispositiones, quae natae sunt parti, et toti convenire, non denominatur totum a parte simpliciter, sed addita parte; ut, cum dicitur homo albus secundum capillos, nec hoc proprie, sed figurative per synecdochen ».

Ex quo sanctus Doctor infert Christum non posse dici creaturam. Nam « cum creatio naturae, et personae nata sit convenire » eo quod humana natura Christi sit creata, non potest dici de Christo quod sit creatura, « nisi fiat additio, ut si dicatur, *secundum hominem*, vel *secundum quod homo*; et tunc etiam tropica est, et figurativa . . . , sicut et haec, *Aethiops est albus secundum dentem*¹⁴ ».

VII. TRIA OMNIA SUNT. Hoc effato nihil aliud significatur; nisi « *perfectio ternarii*, qui est numerus *omnis rei*, utpote habens principium, medium, et finem, ut dicitur in 1º *De Coelo*¹⁵ ». Fusius s. Bonaventura: « Numerus

¹ *Vid. p. 213.* — ² *Vid. p. 282.* — ³ *Vid. p. 57.* — ⁴ *Vid. p. 364.*

⁵ *Vid. s. Thom.*, I, q. III, a. 7 c., et q. XI, a. 2 ad 2. Cf p. 79.

⁶ *In lib. III Sent.*, Dist. XI, q. I, a. 2 ad 4.

⁷ *Ibid.*, a. 3. sol. *Vid. p. 102*, et p. 334.

⁸ 3, q. LIII, a. 2 c. « *Quo numero (tria) significatur perfectio* »; s. Aug., *De Serm. Dom. in monte*, lib. I, c. 19, n. 61.

iste ternarius habet in se primam perfectionem; quoniam primus numerus est, qui constat ex omnibus partibus suis, scilicet unitate et dualitate, quae simul iunctae faciunt tria... Item summa perfectio est in eo, quia unitas, quae est principium et completio omnis numeri, reflexa supra se reduplicatione perfecta quadrata, qualis in solido quadrato triplicatur secundum rationem, remanens una secundum unitatem; ut si dicatur semel unum, semel... Similiter, si consideretur numerus iste in quantitate continua, habet in se primam perfectionem, et summam. Primam, quia omnis quantitas habet principium, medium, et ultimum. Summam, quia perfectio quantitatis continuae suprema consistit in trina dimensione, scilicet longitudine, latitudine, et altitudine; et hoc est, quod dicit Philosophus in principio *de coelo et mundo*. Omne enim perfectum in tribus dicimus, et hoc numero adhibuimus nosmetipsos magnificare Deum unum creatorum omnium, eminentem proprietatibus eorum, quae sunt creata. Similiter, si consideretur iste numerus in creatura, habet in se primam perfectionem, et summam. Primam, quia trinitatem vestigii contingit reperire in qualibet creatura, quantumcumque parva, quantumcumque minima. Perfectam, quia secundum trinitatem imaginis reformatam, et Dei formam attenditur summa et nobilissima perfectio creaturae, scilicet beatitudo¹ ».

U

DISTINCTIONES

I. UBI CIRCUMSCRIPTIVUM — UBI DEFINITIVUM².

II. UNIO — COMPOSITIO. « Unio, ait s. Bonaventura, dicit compositionem duorum in tertio, sive constituantur ad constitutionem tertii, sive non. Compositio vero dicit coniunctionem aliquorum, ita quod veniunt ad constitutionem tertii; et omne tale aliquo modo est materiale respectu alterius. Et ideo compositio semper dicit imperfectionem in componentibus, unio vero non ». Exinde

¹ In lib. I Sent., Dist. II, a. I, q. 4 resol.

² Vid. *Circumscriptive — Definitive*, p. 64.

infert sanctus Doctor Naturam Divinam non posse alteri componi, sed posse alteri uniri¹.

III. UNITAS QUANTITATIVA — TRANSCENDENTALIS. *Unitas transcendentalis*, vel *metaphysica* est *indivisio rei in se*, et a quovis alio *divisio*. Huiusmodi unum convertitur cum ente²; si enim ens in plura divideretur, non esset amplius ens, sed multa entia. « Unum, ad rem ait s. Thomas, non addit supra ens, nisi negationem divisionis, non quod significet ipsam indivisionem tantum, sed substantiam eius cum ipsa; est enim unum idem quod ens indivisum³ ». Nempe *unitas* primario significat entitatem rei, secundario negationem divisionis. E. g., « unum dictum de homine significat naturam, vel substantiam hominis non divisam⁴ ». Ex quibus patet unitatem *transcendentalem* opponi multitudini, per modum privationis ut *indivisum divisor*⁵; ubi enim est unum, non est multitudo, et ubi sunt multa, non est unum. Haec multitudo, cui opponitur *unitas transcendentalis*, dicitur *numerus transcendentalis*, qui quidem numerus non est aliquid distinctum ab ipsis entibus, sed consistit in ipsis entibus coniunctim sumptis: « Cum dicuntur res multae, multitudo sic accepta significat res illas cum indivisione circa unamquamque earum⁶ ». Quare haec multitudo « nihil addit supra res multas, nisi distinctionem, quae in hoc attenditur, quod una earum non est alia; quod quidem non habent ex aliquo superaddito, sed ex propriis formis⁷ ». Unde vocatur etiam *multitudo intrinseca*⁸. *Unitas autem quantitativa* est aliquid, quod oritur in quantitate ex unione partium ipsius; ita ut, ubi quantitatis partes invicem uniuntur, faciant unum; sin dividantur, faciant plures unitates, seu *numerum quantitativum*; siquidem hic « fit per divisionem continuo⁹ ». E. g., si partes baculi sunt unitae, est unitas in baculo; sin dividantur, oriuntur plures unitates¹⁰, et fit nu-

¹ In lib. III Sent., Dist. I, a. 1, q. I ad arg.

² « Nihil est esse, quam unum esse »; s. Aug., *De mor. Manich.*, lib. II, c. 6, n. 8.

³ I, q. XI, a. 1 c., et Qq. *dispp.*, *de Pot.*, q. IX, a. 7 c.

⁴ I, q. XXX, a. 3 c.—⁵ I, q. XI, a. 2 c.

⁶ I, q. XXX, a. 3 c.

⁷ Qq. *dispp.*, *de Pot.*, q. IX, a. 7 c.

⁸ Ibid., q. III, a. 16 ad 3.—⁹ Ibid.

¹⁰ Vid. *Multitudo constitutur ex unitatibus*, p. 216.